

Petrus de Vinea

*Ep. VI 14 (Notitiam tuam
latere non uolumus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 14 (Notitiam tuam
latere non uolumus...)*

dicembre 1248

Fridericus secundus filio suo, ut non turbetur de quibusdam terris datis Pisanis et Lucanis.

1. Notitiam tuam latere non uolumus, quod, exigente negotiorum et temporum tempestate, quae nostrae liberalitatis ordinem in plerisque permutant, utilitate nichilominus quominus et necessitate rigida suadente, prouincias Lunisanam et Garfagnanam, olim tibi paterna affectione domatas collatas, nuper Communibus Pisanis et Lucanis prouidimus concedendas. 2. Ex quo, licet posses in patre quodammodo notam inhumanitatis obicere, quod de filii spoliis ditauit extraneos et liberalitatis munificae gratiam, quam in te dudum gratus infuderat, ablatiua nunc uacuatione confundit, si tamen collationis huiusmodi qualitas et conferentis affectus diligenter attenditur, propterea te turbari debere non credimus, sed potius ferre equanimitate arbitramur. 3. Cum probabili debeas argumento presumere, ut, qui nostrae munificentiae dexteram ad fideles benemeritos libenter extendimus, tanto tibi libentius et liberius propagamus, quanto nobis ardentius hoc et ius suggerit et natura, dum apud nos duplici ratione grandia promeritis carnis nobis ydemptitate participas, et labores nostros et onera studiosus et peruigil continua communicatione supportas, uolumus igitur, ut prouisionem huiusmodi, quam necdum peractam gratificare te credimus, sed consulere potius peragendam, ratam habere debeas et absque dilatione aliqua acceptare securus, quod sic tibi in aliis maioribus paterna prouidentia prouidebit, quod et dictis te cessisse prouinciis et nostris insudare monitis merito delectabit.